

*tionem universus orbis tam Romanus quam Teutonicus gaudet omnino applaudere, videlicet Henricus quintus rex et quartus imperator, vir compositus multiplici virtute, ferox in bello, pius et mansuetus in pace. Cum igitur ipse resplendeat velut coruscans lucifer splendore sapientię et redoleat omni boni odoris suavitate, dignatus est nostrę parvitati precipere, ut colligat sibi chronicum opus a temporibus Karoli Magni usque ad sua tempora, servando ubique veritatem istorię. Quod opus recipere cum nostra recusaret imperitia, nos tamen contulit deducere ad aliquem effectum sua auctoritas et benivolentia. Habes igitur, serenissime imperator, administrante caritate chronicum opus, excerptum non nostra, set veterum chronographorum (conophorum Hs.) auctoritate, utinam non indignum, ne dicam oculis imperatoriis, set saltem minimis lectoribus tuę curię. Cum igitur tota intentio huius libri tam Romani imperii quam Teutonici regni deserviat honori, quorum regnorum coniunctio cepit a Karolo Francigena, necessarium duximus, tam nobilissimę gentis, quę habilis inventa est ad procreandos dominos Romanę potentię, altius originem repetere, et sic per antiquissimę nobilitatis generationes usque ad eundem Karolum narratione deducta, qualiter ipse capesseret rem publicam labefactam, et qualiter*

*um, quod oppido iam lassus exoptat, denego, immo ipsum tuis amodo preconiiis pro viribus ac ultra vires inserviturum, quamdiu his regitur artibus, devotissime subiugo. Quidni?*

*Te quippe multis iam in tristitia sedentis, domine gentium, plorantibus a patre spirituum tandem et vix impetratum caput non immerito quodque catholicum et orthodoxum eiusdem ecclesię membrum quocumque prevalet favore prosequitur, tibi Romanus a pulvere iam expergiscens orbis a mari usque ad mare, immo totus a solis ortu usque ad occasum mundus inenarrabili tripudio congratulatur. In te suscitatum David germen iustum universa sanum sapientia corda speculantur, sed precipue Deo servientium personę undique prorumpentes e latibulis lumen te sibimet in tenebris exortum divina quędam de te presagia conferentes, tempus iam venisse miserendi sui testantur, de tua indole quid iustum audire vel sanctum sanctę quęvis animę sui erga Christum regem servitii fructum esse confidenter arbitrantur. Beata erit et ultra ipsas avitę maternęque stirpis magnificentias gloriosior producetur etas tua, si mansionem in augustissimo tuo pectore fecerit spiritus, quem die noctuque universa Deo placentium tibi exoptant et imprecantur vota.*

*Explicit prologus, incipit liber quintus (E).*